



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

3. Pugnandum seu vi, seu dolo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Per Acheloi serpentiam & taurinam formam exprimitur quoque doctus Sophista, aut hæreticus, qui virus pestilentis doctrinæ jam instar serpentis sub SS. Scripturæ malè corruptæ volumine clàm illabendo insinuat in animos; jam convitiis, contumeliis, seditionibus, armis debacchando in Religionem Orthodoxam, conatur omnibus modis impugnare veritatem, quæ per Herculem designatur, *nulli cedentem*, & tam adversus *Serpentis* insidias, quàm feroces tauri incursus prævalentem.

III. (c) Achelous robore, & vera virtute victus, ad artes suas dilabatur. Pingit nobis versuti Ducis ingenium: qui ubi se aperta vi & armis hosti parem esse non posse videt, clanculariis technis, insidiis, & Strategematis illum aggreditur. Sic Annibal, postquam suis se artibus à Fabio petito vidit, minus sperare cœpit de felici belli exitu, referente Livio. Sic Jugurtha callidis ferè consiliis & frustrationibus Romana elusit arma, narrante Sallustio. Contrà, Hercules semper indutus legitur pelle *Leonina*, nunquam autem *Vulpina* aut *Serpentina*. Vera enim virtute & fortitudine, apertoque Marte adortus hostes, superavit eos. Sic Alexander magnus suadentibus Ducibus, ut Darij exercitum, discordem moribus & linguis, intempesta nocte opprimeret, respondens, latrunculorum, inquit, & furum ista solertia est: quippe illorum votum unicuique est, fallere. Meæ verò gloriæ semper aut absentiam Darii, aut angustias locorum, aut furtum noctis obstare non patiar. Palàm luce aggredi certum est. Malo me fortunæ poeniteat, quàm victoriæ pudeat. Curt. lib. 4. Negari tamen non potest, locum esse in bello callidis consiliis, & artibus; adeoque Duci militari aliquando *Serpentis* astu, juxta exemplum Acheloi utendum: dextrè sustinendo hostem elabendum esse, subterfugia quærenda, impressiones & aggressiones validiores variis flexibus eludendos: aliquando aperta fronte decertandum, & instar tauri in adversas acies incurrendum. Poëtæ dictum est.

— Dolus an virtus, quis in hoste requirat?

Assentitur sacrorum antistes Augustinus in Quæst. super Josue c. 10. *Cum justum bellum suscipitur, ut aperte pugnet quis, aut ex insidiis, nihil ad justitiam interest.* Taurorum est, cornibus solùm fidere. Consilium, latebra, nox, flumina, silvæ, colles, venti bella juvant. In omnem eventum Duces quidam præparati, fortunam in potestatem habuere; territi exultaverunt; pressi terruerunt. Serpentis calliditatem taurinæ ferociæ junxit Annibal, quando à Romanis in actum redactus, boum cornibus fascēs virgarum, atque arida sarmenta præligavit, primasque sub noctis tenebras,

M m

cornu-

(c) *Pugnandum Marte aperto, & Strategematis.*



cornibus accensis furentes boves, super saltus ab hoste infessos egit, latèque terrorem ac fugam spargendo, sibi viam effugiendi aperuit. Liv. lib. 22. Rectè tamen monet Florus lib. 1. c. 12. Eam vir sanctus & sapiens sciet veram esse victoriam, quæ salvâ fide & integra dignitate parabitur. Nam contra pacta & fœdera fraudem quis probet? quis item vilem aliquam & abjectam? ut si quis hostem veneno tollat, aut ciàm immisso, emptoque percussore?

IV. (d) Achelous & alii fluvii tauris similes effinguntur, quoniam vel cum impetu irrumpentes, tauris similem edant mugitum: vel quia circa ripas fluminum tauri mugire uberiora ob pascua audiantur. Achelous etiam draconis sive serpentis figuram assumpsit, quia & ipse, & amnes alii sinuoso deferuntur cursu. Acheloum temerè & cum impetu per Ætoliam ruentem, agròsque infestantem, Hercules aggeribus & aquæ ductibus cœrcuit & extenuavit, unde dictus est fluvio taurinum cornu defregisse; vel juxta alios, Acheloum geminis alveis labentem, alterum eorum vertit aliò, & sic plurimos Ætolis asseruit agros, omni fructuum genere fertiles. Et quia magnæ commoditates hauriuntur è fluvii, præsertim navigabilibus, Cornucopia, seu copiarum cornu, variorum Autumni fructuum ferax, felicitatis & abundantiarum Symbolum, ex Acheloi cornu exorta fingitur.

V. (e) Neque inane est, quod Nympharum una è Dianæ gynæceo Herculem Victorem velut gratulabunda excepit,

----- totumque tulit prædivite cornu

Autumnum, & mensas, felicia poma, secundas.

It enim *virtuti fortuna comes*, & dulcis est fructus laborum. Hinc hieroglyphicum: Cornu copiarum, affulgente sole, utraque manu, velut in fœdus porrecta, sustinetur. Inscriptio. *Non deficit alter*, id est, nec sol, nec terra deficit ad frugum copiam procreandam, quando nostræ manus non deficiunt junctim sustinendo. Addunt Poëta Herculem peracto certamine palmæque relatâ Acheloi Cornu Dejaniræ sponsæ pro munere nuptiali donasse; quò ostenditur, sudore & fortiter faciendo famam, laudem, felicitatem, velut sponsam domum duci. De sponsis virtute obtentis alibi diximus. Cornu copiarum ex lucta reportatum indicat, Dulcem è bello nasci Pacem, cum Bonis adjunctis, de quibus Poëta Venusinus Epid. carm. fec.

Jam Fides, & Pax: & Honos, Pudorque

Priscus, & neglecta redire virtus

Audet: apparètque beata pleno

Copia Cornu.

(d) Fluviorum utilitas, (e) Copia cornu virtutis præmium.

M. Per-